Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26503
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Lateres. quod lati formentur circumactis undique quattuor tabulis. Lateres autem crudi sunt
Crates. qui et ipsi in novitate. quod lati ligneis formis efficiuntur. quorum crates dicuntur.
In quibus lutum per hisdem lateribus crudis portare solent. Sunt enim conexiones
Lutum. cannarum dicti. a pos kratein. id est quod se invicem teneant. Lutum autem vocatum qui
dam per antifrasin putant. quod non sit mundum. Nam omne lotum mundum est. Calx
Calx viva. viva dicta. quia dum sit tactu frigida. intus occultum continet ignem. Unde
et perfusa aqua. statim latens ignis erumpit. Natura eius mirum aliquid facit.
Postquam enim arserit. aquis incenditur. quibus solet ignis extingui. Oleo ex
tinguitur. quo solet ignis accendi. Usus eius in structuris fabrice necessarius.
Gipsum. Nam lapis lapidi non potest adherere fortius. nisi calce coniunctus. Gipsum co
gnatum calci est. et est grecum nomen. Plura eius genera. Omnium autem optimum lapis
Harena. est specularis. Est enim signis edificiorum et coronis gratissimus. Harena ab ari
ditate dicta. non ab adherendo in fabricis ut quidam volunt. Huius probatio.
si manu impressa strideat. aut si in veste candida sparsa. nichil sordis
Columne. relinquit. Columne pro longitudine et rotunditate vocate in quibus totius fabrice
pondus erigitur. Antiqua ratio erat. columnarum altitudinis tertia pars la
titudinum. Genera rotundarum .iiii. Dorice. Ionice. Tuscanice. Corinthie. mensu
ra crassitudinis. et altitudinis inter se distantes. Quintum genus est earum que
vocantur attice. quaternis angulis. aut amplius. paribus laterum intervallis.
Bases. Bases fulture sunt columnarum que a fundamento consurgunt. et supposite fabrice
sustinent pondus. Bases autem nomen petre est fortissime in syro sermone.
Capitalia. Capitalia dicta quod sint columnarum capita. quasi super collum caput. Episti
Epistilia. lia sunt que super capitella columnarum ponuntur. et est grecum. Pavimenta ori
Pavimenta. gine operis a grecis habita sic vocata autem pavimenta. eo quod paveantur. id est cedantur.
Ostrace. Unde et pavor quia cedit cor. Ostrace est pavimentum testaceum. eo quod fractis te
Rudus. stis calce admixta feriatur. Testa enim greci ostra dicunt. Rudus artifices
appellant lapides contusos. et calce admixtos. qui in pavimentis faciendis
Canalis. superfunduntur. Unde et rudera dicuntur. Canalis ab eo quod cava sit in modum can
ne. Sane canalem melius genere feminino quam masculino proferimus. Fistule
Fistule. aquarum sunt dicte quod aquas fundant et mittant. Nam stola grece mittere est.
forme earum per magnitudinem aque et capacitatem sunt. per quas aque per certos
modulos dividuntur. Ex quibus est uncia. quinaria. digitus quadratus. digitus
rotundus. et ceteri modi cuiusque cause. De venustate. Hucusque partes
Venustas. constructionis. sequitur de venustate edificiorum. Venustas est illud quicquid
ornamenti et decoris causa edificiis additur. ut tectorum auro distincta

laquearia.